

felius, Cimbrorum Joannes Mollerus, Silesiorum Martinus Hankius & Nicolaus Henelius. Helmstadiensium, (potissimum Theologorum) memoriam illustravit Gebhardus Theod. Meierus, Cygneorum Joachimus Fellerus, Hamburgensium Joan. Albertus Fabricius, Augustanorum Paulus Ambergerus, Annaebergensium Joannes Dietericus, alii aliorum. Horum igitur exemplo pariter ac amore patriae, quo optimus quisque ducitur, excitatus, simile quippiam in recensendis *viris eruditis Gedani ortis*, qui quidem huc dum in notitiam meam pervenerunt, tentare constitui. Equidem non diffiteor, complurium ex iis memoriam, cum ab aliis vitarum scriptoribus, tum praecipue a Pl. Rev. Cive meo Ephraimo Praetorio, in Athenis Gedanensibus renovatam esse. Atenim hujus longe diuersum institutum fuit, qui non Gedani natos, sed docendi munere in illius pariter ac Torunensium & Elbingensium Gymnasiis aut Lyceis functos, recensuit. Illi vero, pluribus intenti, multa partim neglexerunt, partim minus accurate tradiderunt. Quare non inutile aut supervacaneum duxi, horis subcisivis ab illis omissa supplendo, & hinc inde dispersa colligendo, Eruditos Gedanenses uno conspectu tibi, L. B. perlustrandos exhibere, in quibus aliqua saltem, ex domesticis praesertim monumentis deprompta, inuenies, quae in aliis frustra requiras.

III.

Quinque omnino partibus totam hanc commentationem volebam absolvere, sic ut in classibus quatuor prioribus eruditos secundum ordines suos sifterem, quinta vero diversae religionis viros complecteretur. Sed plerisque hoc *χρονία* evolventibus commodius fore, duxi, si solo literarum ordine Eruditos Cives meos contemplandos darem,

A 2

cum